



DYODECAS
QUÆSTIONUM
MISCELLANEARUM

1642, 1

16

Gustav Ranke

2.11.1890

Quas

Adjuvante Sacro - Sanctâ
Trinitate, & approbante Amplif-
simâ Facultate Philosophicâ.

In Florentissimâ Academiâ Electorali
Brandenburgicâ, quæ est Regiomonti
Borussorum.

Publico & placido Doctorum examini
Subjiciunt

Dn. M. JOHANNES HUNDIUS

Misnicus.

P R Æ S E S

&

JOHANNES HALLERVORDIUS

Rostoch.

R E S P O N D E N S

Habebitur

In auditorio Philosophico.

Ad diem Augusti, horis antemeridianis.

TYPIS REUSNERIANIS 1642.

2. 11. 1890

DYODECAR

QUESTIOM

MISCELLANEA

Adjuvante Jacobi - Sandii

Institutio & apparatus Amplius

in Facultate Philosophica

In Florentina Academia Electoris

Publica & Regia

Universitatis

Philosophicae Doctorum examini

subiit

Dr. M. JOHANNES HUNDIUS

Minister

Paris

JOHANNES HALLERVORDIUS

Holoch

Responsarius

Habebit

In auditorio Philosophico

Ab anno 1744, hunc annum

Typis Renshelianis 1744





Q. 1. Quid κάμηλον Matth. 19. 24. notet ?

Nonnulli putant funem nauticum denotare : Alij vero rectius Animal Ebraeis חמל dictum, ex cuius pilis vestes, quas Hispani chamelote, Germani Schamlotz vocant, apud Orientales confartæ sunt; ut & de Johanne Marci 1. 6. dicitur, quod indutus fuerit pilis Camelorum, & ederet mel montanum, ab agrestibus apibus confectum, quale illud 1. Sam. 14. 26. & acridas, per quas non summitates plantarum, ut nonnulli explicant neglectâ historiæ autoritate, sed animalcula edi à DEO concessa Lev. 11. 22. & olim Orientalibus & meridionalibus esitari solita. Sententiam autem illam, quæ κάμηλον per funem nauticum explicat, fallere exinde patet; Quia κάμηλον, juxta Suidam, si scribatur cum η, notat ζῶον ἀχθοφόρον; si cum ῶτα τὸ παχὺ χοιρίον, quamvis vox usitata non sit, & nisi apud Suidam & Scholiastem Aristophanis, vix reperiatur. Drusius notat similem παροιμίαν reperiri apud Ebræos: Non est Elephas, qui intret per foramen acus: Servatorem verò loco Elephanti Camelum posuisse, quod id genus animantis in Syria notius esset.

Q. 2. An Philosophia Theoretica præstantior sit Practica ?

De contentione, inquit Alstedius, Philosophiæ Theoreticæ & Practicæ dici non potest, quam anceps sit disputatio, utra nempe præstantior. Præstantiorem tamen Theoreticam Practicam esse affirmat cum

A 2

alijs

alijs in Encyclopædiâ p. m. 1799. idq; triplici ratione. Est enim inquit, origine illustrior, fructu uberior, fine beator; quam sententiam uberius explicat p. 88. Rationes verò has si exactius ponderemus, meliori jure Philosophiæ Theoreticæ competere videbimus. Et quoniam de origine, quam & ipsam à DEO trahere non minus evidens est, quam practicam, non adeo lis est, saltem finis & fructus præstantiam urgebimus, quæ ex eo elucescit: quia finis Philosophiæ Theoreticæ contemplatio, per se sufficiens est, & propter se expetitur, versaturq; circa ipsum DEUM, & facit ut proxime accedamus ad eum, & maximè distermineamur a brutis; Philosophiæ Practicæ verò finis per se sufficiens non est, sed necessariò requirit speculationem. Nam contemplatio rerum necessariarum, quâ perficitur intellectus, antecedit actionem contingentium, qua dirigitur appetitus: imò finis ejus cognosci non potest sine *theoria*. Hinc neq; propter se expetitur, sed propter conservationem Reipublicæ & societatem. Ideo enim exercemus virtutem, ut benè in Republicâ & societate versari sciamus. Versatur enim finis Philosophiæ Practicæ non immediatè circa ipsum DEUM, sed circa *res* humanas & virtutes eas, quæ in Deum non cadunt propter excellentiam, qui nec laudari propterea potest, cum optimorum nulla sit laus, sed majus quiddam ac melius: nec per actionem & studium virtutum moralium à brutis ita distinguimur, cum & earum vestigium detur in brutis.

Q. 3. An Privatio si propriè Principium
Physicum?

De

De Principijs Physicis tot fervidæ rixæ & litigiâ
moventur, ut non pauci in limine à studio Physices
deterreantur. Circa hujus quæstionis autem subje-
ctum notandum, quod non sit quæstio de privatione
Logicâ, quæ dicit absentiam formæ, quæ jam fuit, vel
esse debuit in certo subjecto, quod aptum natum est
habere aliquid vel per omne tempus, vel certò & de-
terminato tempore & non habet: sed de Privatione
Physicâ particulari, quæ duo innuere dicitur. Primò,
absentiam Formæ generandæ: Secundò, capacitatem
subjecti ad istam formam recipiendam. In prædicato
non agimus de principio cognoscendi, quomodo sci-
entiæ sua habent Principia, partim communia, partim
peculiariora. Sic & Theologia sua habet principia: Pri-
marium, Scripturam Sacram; secundarium, consen-
sum in antiquis Concilijs & Patribus contentum; sed
de Principio in generatione externo, & per accidens,
& ad fieri, licet non ad esse, & productionem rei neces-
sario, quamvis præsentem formam pereat. His præ-
missis nobis neganda videtur quæstio, idq; ex descri-
ptione privationis Physicæ, quæ dicitur communiter
absentia formæ, in materia proximam ad eam recipi-
endam potentiam obtinente. Formaliter igitur pri-
vatio & per se non est Ens aliquod positivum, sed ni-
hil; quia dicit absentiam entis, & nihil facere potest
ad esse vel fieri corporis naturalis, cum non Entis nul-
læ affectiones, nullæ operationes; hinc neq; Physicè
potest appetitum suscitare materiæ, ad novam formam
recipiendam, cum non ipsa absentia rei talem excitet
appetitum, sed materia absq; ulla præviâ cognitione,
appetitu, ut vocant, innato, per quem quodvis appetit
bonum & perfectum, formam appetit, ut fæmina ma-
rem

rem & turpe pulchrum. Opus enim naturæ non est errantis, sed intelligentiæ. Non Ens quidem dicitur negativè & privativè, illo modo, quod ita non est ut nec detur aliquod subjectum, quod habeat potentiam ad ipsum, quomodo ante creationem, omnia creata erant non Entia: hoc vero, quod quidem non ens, quia non est actu, interim est in potentia, ita ut detur aliquod subjectum, quod realem potentiam ad ipsum habeat. Sive autè hoc, sive illo respectu privatio dicatur non ens, nihil facit ad generationem. Nam in potentia quod est, illud nondum est, quia nullà in se habet realitatem, & licet esse possit, tamen ^{non} esse posse per se est saltem extrinsecum quid, est enim non repugnantiæ, & nuda impossibilitatis negatio. Et quamvis privatio dicatur connotare subjectum aptum, ista tamen aptitudo potius est in subjecto, quam privatione: negatio enim & privatio non differunt intrinsecè, sed saltem extrinsecè. Dicunt autem ex non Ente, fieri aliquid per Accidens, & sic ex materiâ fieri rem per se, ex privatione per accidens. Verum Privatio ita causa per accidens in generatione erit vel ratione causæ, vel ratione effectus; hoc respectu dici nequit, quia juxta ipsos privatio interit in materia, quando forma accedit; illo respectu autem si dicatur, saltem erit principium propter accidentalem istam conjunctionem, quæ intercedit inter privationem & materiam, quæ causa per se generationis: Privatio autem non est de essentiâ materiæ, & sic nec propriè principium Physicum dicetur, cum causa per accidens non sit causa in re. Ex nihilo privativo ergo quando dicitur aliquid fieri v g. ex non homine homo, de privatione ceu non-Ente formaliter nequit verificari, sed materialiter de eo, quod sic dicitur privatum certâ forma. Q 4.

Q. 4. An dentur aquæ supra cælestes ean-
dem cum nostris habentes naturam?

Dantur & hic diversissimæ opiniones: nonnullis negantibus, inter quos est Flacius, in clave scripturæ de voce Cæli & aquæ: nonnullis affirmantibus, quibus & nos calculum nostrum adjicimus.

Q. 5. An Christiano bellum licitum & concessum?

Ita format quæstionis statum Ostorodus c. 27. In-
stit. Germ. p. 175. gravemq; quæstionem esse dicit.
Hic autem Ostorodus & cæteri Photiniani nobilissi-
mam Virtutem Fortitudinem, duplici imprimis inju-
ria afficiunt. Primò quidem, quia negant cum Ma-
nichæis & Anabaptistis Magistratum Christianum
bellum salva charitate Christiana & conscientia gerere
posse. Secundò, dum defensionem illam prorsus illi-
citam perclamant, qua periculorum damnum proxi-
mo infertur, & ipse occiditur. De posteriori postea.
Circa præsentem autem quæstionem notandum, quòd
non controversia sit de bellis corporalibus injustis &
remerarijs, sine necessitate, ex ambitione, avaritiâ, vel
aliâ causâ susceptis, sed de justis, necessariis & honestis,
quæ adversus insultus hostium, libertatem, facultates,
vitam, regionem & religionem petentium Magistra-
tus gerit: & quidem in Novo T. negat Ostodorus cit.
cap. p. 178. quando dicit. Wir geben denen Beyfall so
den Krieg nicht für gut halten. & paulò post innuit, pe-
riculum salutis imminere illi, qui bellum licitum asse-
rat. Videat & Stegmannus in der Prob contra D. Bot-
saccum olim præceptorem meum honorandum c. II.
p. 440. ubi explicat & defendit Ostorodum. Unde
& im-

& improbant ea instrumenta, v. g. gladios, novum istud balestæ genus, quòd anno 1380. Bartholomæus Schwarz Monachus invenisse dicitur, & reliqua, quibus quis occidi potest, vocantq; res Christianis illicitas: Nos contra hos argumentamur: Nulla actio virtutis moralis in N. T. approbata, per se & in se est vitiosa aut prohibita: Atqui bellum honestum, necessarium & defensivum gerere, est actio virtutis moralis (quia fortitudo versatur circa præclaram mortem, circaq; ea, quæ mortem afferunt, ejusmodi autem maxime sunt, quæ in bello occurrere consueverunt Arist. l. 3. ad Nicomach. c. 9.) etiam in N. T. approbata, partim à Johanne Luc. 3. 14. ubi milites quid ipsis faciendum, ut venturam iram fugiant, & fructus poenitentiam dignos faciant, dehortatur Johannes non ab ipsa militia substantia, sed saltem à militia vitiosis circumstantijs adherentibus, quod omninò aliàs facere debuisset, partim ab ipso Deo, in bellis Christianis pugnantibus, auxilia, & necessaria media speciali modo præbente, & ad pugnam impellente, quod omninò aliàs facere non potuisset, nisi causa peccati, si non Physica, tamen moralis audire velit. Sic sub M. Aurelio regioni Christianæ fulmen, quòd hostes in fugam & exitium expulit, & imbrem ad refocillandum exercitum siti afflictatū misit, Angelos administratores belli Constantinopolitani adversus Persarum copias dedit. Non solùm ergo bella, sed & stratagemata in bellis licita pronunciamus.

Q. 6. An occidendo liceat se defendere contra invasorem?

Quam-

Quamvis meritò damnemus istud defensionis ge-
nus, quod in defensionem honoris, existimationis, &
damni antea illati vindictam duellatores instituere so-
lent, cui olim multum tributum fuit, adeò ut Fronto
Rex Daniæ legē tulerit, ut omnes controversiæ, quales-
cunq; eæ essent, duello definirentur, idq; etiamnum in
Moscoviâ usitatū esse scribit & approbat Bodin⁹ l. 4. de
rep. c. ult. defensoriū tamen homicidium non improba-
mus, si modò servetur moderamen, ut loquuntur, in-
culpatae tutelæ, adeoq; committatur 1. in periculo subi-
taneo, ut insultatus, periculum mortis imminens ali-
ter, quàm adversarium occidendo, evadere non possit.
2. in continenti. 3. in isto loco, in quo Magistratus o-
pitulari non potest. Plura vide apud Berlichium.
Photiniani & hoc negant. Ostorodus in instit. Germ.
c. 27. p. 175. ad quæstionem: Obs auch frey sey/ sein Les-
ben zuerretten/ einen Räuber oder Mörder zuerschlagen.
respondet: Wir sagen/ daß es einem Christen nicht frey
sey/ einen Räuber oder Mörder/ damit er sein Leben erhalten
möge/ zuerschlagen. Sic & Socinus quem explicat Streg-
mannus in der Prob p. 458. Nos approbamus ordina-
tionem Caroli V. art. 139. qui statuit: Welcher eine
rechte nothwehr zu Rettung seines Leibes vnd Lebens thut/
vnd den jenigen/ der ihn also benöthiget/ in solcher Noth were
entleibet/ der ist darumb niemand nichts schuldig. Sic &
Justinianus Imperator de lege Aquilia idem rectè ap-
probat. Talis enim defensio est juris naturalis, quo
maximè nos ipsos diligere jubemur, etiam cum inter-
necione alterius. Unde Cicero i. Offic. Principio, in-
quit, omni animantium generi à naturâ tributum est,
ut se, vitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ noci-
tura videantur. Et pro Milone: Hoc & ratio doctis,
B & ne.

& necessitas barbaris, & mos gentilibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim quacunq; ope possent à corpore, à capite, à vitâ suâ propulsarent.

Q. 7. Quid verè Angeli mali agere possint circa res naturales?

Ut Angelis bonis multa à multis tribuuntur circa res creatas agenda, quæ tamen ab omni certitudine aliena, ut quando motores orbium cœlestium à Peripateticis, item singulis regnis, provincijs & hominibus, singuli præponi ab alijs statuuntur; ita de actionibus & effectis malorum Angelorum multa incerta, multa falsa creduntur, & pro veris venditantur. Magnam esse Diabolorum potentiam, sed tamen determinatam & finitam, in rebus creatis videmus, omnia tamen ita esse, prout ab ipsis venduntur, & à multis accipiuntur, affirmare non possumus. Hinc miracula facere non possunt, quia id potentiam infinitam, quæ solius DEI est, requirit, quamvis multa mirabilia & præstigiosa efficiant. Sic mortuos in vitam revocare, unam speciem in aliam transmutare, v. g. hominem in lupum, felem, & similia animalia, non valent, ut meritò non credamus famæ, quæ per Livoniam & vicinas regiones certo tempore homines luporum pererrare specie refert, nec majoris fidei est, quod de sagarum in feles transformatione vulgo sentiunt. Duæ autem præcipuæ sunt operationes insignes, quæ Diabolo reverà competunt. Primò enim corpora elementaria loco movere potest, brevissimoq; tempore in varias longissimèq; distitas terrarum partes transferre. Dico corpora, nam de animarum sagarum abreptione, & ad
comi-

comitia nocturna (auff dem Blocksberg) transportatio-
ne, & vicissim cum corpore reuentione quod somniant,
verè somnium est. Corpora autem in sublimè levare, &
huc illuc propellere, ut patet in corpore Christi Matth.
4. 5. Tempestates, dirosq; ventorum flatus ciere, &
collectis collisisq; nubibus horrendos fragores in aë-
re, ceu princeps aëris, edere posse non negamus, ita ut
præter fidem omnino non esse videatur, quod de Lap-
pis & Finnonibus produnt, eos certo pretio secundos
ventos nautis vendere. Sic operâ & artificio Diaboli
factum est, ut in locum projectarum virgarum Exod.
7. modo invisibili serpentes aliunde allati substitue-
rentur, quamvis Josephus aliam det explicationem.
Et quoniam sagacissimus Physicus est, hinc optime scit
activa passivis applicare, & corpus quoddam compo-
nere vel aliud assumere, quamvis generare sive so-
bolem procreare non possit. Interim maxime dele-
ctatur conversatione hominum in corpore humano,
id quod faciunt imprimis lares illi domestici, qui duo-
rum sunt generum, quidam scilicet mites, quos
νοβάλες Germani Robolt & Guthalos, Gütchen/ quod
in corpore assumpto benignè facere & hominibus of-
ficiosi esse videantur, quos Sarmatas olim coluisse,
testatur Johannes Melezius de Religione & sacrificiis
Veterum Borussorum; quidam tetrici & formidabiles
in corpore, ut sunt illi, qui in locis metallicis, unde &
viri montani, Bergmännlein/ appellantur, frequenter
visuntur. Quoniam autem Diabolus etiam summam
rerum naturalium habet scientiam, quam communicat
etiam miseris illis Doctoribus, qui spiritus familiares
habent comites, hinc Secundò potest morbos curare,
imprimis à se ipso immisos. Non enim putandum

magos nudis verbis efficere, ut morbi cessent v. g. dolor dentium per recitationem verborum: Os non comminuetis ei: nem febris per verba: æquè facile tibi hæc sit febris, atq; Mariæ virgini partus Christi. Prædicere etiam potest Diabolus res futuras non quidem merè contingentes, sed necessarias à necessitate causarum secundarum pendentes.

Q. 8. An herus in servos, Pater in liberos habeat jus vitæ & necis?

Utrumq; quæstionis membrum agitari solet in disciplinâ Practicâ Symbioticâ circa societatem privatam versante. Rectè autem negatur utrumq;. Licet enim Ethnici hoc jus quondam in servos usurparint, tamen ex constitutione Imperatoris Antonini, qui servum suum occiderit, non minus puniri jubetur, quam si alium occiderit, cum & ipse homo sit, & omne homicidium interdictum. Posterius autem membrum Bodinus l. i. de Republ. c. 4. defendit, & addit, jus vitæ & necis parentibus pernicioso exemplo ademptum restitui debere, idq; inter alia ex Deut. 21. stabilire conatur. Sed à jure accusationis, de quo iste locus agit, ad jus executionis malè procedit Bodinus; accusare, non condemnare aut occidere, permittitur parentibus, prius licitum, posterius non, quia vindictam Privatam, omnibus prohibitam introducit.

Q. 9. An distinctio Synonymorum & Paronymorum in Prædicamentalia & in vi eminenti sit necessaria?

Quam-

Quamvis res Theologicas quoad Formale tran-
scendere regulas Logicas, ita ut nullo modo ad eas
pertineant, dicendum non sit, cum eas nulli mortali-
um sive Theologus, sive Juris, sive Medicus sit,
transgredi liceat; sed ut unam eandemq; Grammati-
cam & Rhetoricam in omnibus, etiam in divinis obser-
vamus; ita & una datur Logica omnibus disciplinis ge-
neraliter inserviens, eademq; *ὀργανικῶς* dirigens; tamen
nec omnia cum ijs, prout ex Porphyrio & Aristotile
proponuntur, exactè convenire in particulari & ap-
plicatione certum est. Formalis enim ratio Synoni-
morum & Paronymorum competit etiam rebus my-
sticis. Quando enim dicit Theologus: Pater est Deus;
Filius est Deus; Spiritus S. est Deus, tam nomen com-
mune, & eandem nomini attributam essentiæ defini-
tionem habeo; quam quando dicitur animal id quod
homo est, & id, quod est bos, adeoq; rectè concludo
esse prædicationem Synonymicam. Verum, quia non
est prædicatione Generis de specie, nec Speciei de Indi-
viduo, cum non universalis substantia prædicetur de
singulari, sed una numero essentia de supposito seu
personâ, necesse est ut fiat ampliatio, & sic sit Synony-
mum in vi eminenti. De hac enim & similibus prædi-
cationibus Ethnici judicare non potuerunt, quia my-
sterium continent, non nisi per revelationem cogni-
tum. Idem & de Paronymis sentiendum. Distin-
ctione igitur Synonymorum & Paronymorum in
Prædicamentalia & in vi eminenti carere nos posse
non putamus.

B 3

Q. 10.

Q. 10. Quid sint universalia ?

Nonnulli volunt, tantum voces & communia nomina esse, ut sunt illi, qui ab hoc dogmate Nominales salutantur, quorum Princeps Wilhelmus Occam. Alij volunt non nuda nomina, sed & res esse, qui tamen & ipsi dissentiunt. Plato enim, antea Aristocles dictus, statuit esse res seorsim positas, & extra singularia existentes, quam sententiam ipsi ab amico & discipulo Aristotile non affingi, ut nonnulli putant, sed recte impugnari, certum est. Rectius igitur alij docent, universale esse revera aliquid in rebus, idq; non solum potentia, sed & actu, non extra res, nec in solo intellectu. Est enim universale id, quod pluribus inest, item: Quod de pluribus prædicari aptum est. Accedit, quod universalium maximè detur scientia, quæ non de singularibus, puta de ijs quæ mutabilia & caduca, nam de immutabilibus datur omnino scientia: multominus de nudis vocabulis agit.

Q. 11. An unius vocis in Oratione simplici plures possint esse sensus literales ?

Quæstio est, non an ex eventu, & hominum vitio, sed an unius vocis ac orationis, à sapiente & bono auctore prolatae plures sint sensus literales intenti? Sunt qui affirmant, inter quos & Bellarminus lib. 3. de Verbo DEI c. 3. §. 2. Non est improbable, dicit, interdum plures literales (sensus) in eadem sententiâ reperiri. Sed hæc opinio Primò omnem certitudinem orationi adimit, & ambiguitatem, quæ errorum genitrix, introducit.

ducit. Est una affirmatio & negatio, quæ unum ali-
quid de uno dicit. Nam si duobus Nomen unum
impositum sit, ex quibus constare non possit unum,
non ea una aut simplex affirmatio est, aut negatio;
Omnis enim oratio eum in finem adornatur, ut sensa
animi, sive sententiam dicentis infallibiliter & deter-
minatè hoc est sine mentis suspensione ac incertitu-
dine exprimat, voces enim sunt τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημαί-
των σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ. Verùm au-
tem non nisi simplex est & unum, ἐστὶ δὲ εἰς λέγει ἀποφαν-
τικός, ἢ ὁ ἐν δηλῶν, ἢ ὁ συνδεσμῶ εἰς. Proinde non una,
sed plures eaq; incertæ, dubiæ & ad informationem
ineptæ erunt orationes in unâ sententiâ, multæ enim
sunt, quæ multa & non unum aliquid significant.
Hinc Secundò sententiæ hujus patroni orationes tales
faciunt monstrosas. Dum duplicem formam essen-
tialem vocibus assignant. Ut ergò absurdum, unam
rem plures & diversas habere formas essentielles, ita
similiter impossibile est, unam vocem in oratione sim-
plici plures eosq; diversos literales sensus sustinere.
Licet ergò non semper unitas numero vocis requira-
tur, quia plures voces habentur Logico pro una, si
unum quippiam ex ijs fiat, hoc est, si sint unius rei de-
scriptio & determinatio, requiritur tamen semper uni-
tas significationis.

Q. 12. An Judex debeat judicare secundum
acta & probata, an verò secundum conscien-
tiam?

Non

Non modo Theologi, sed & Juri & Philosophi in hac quaestione varias fovent opiniones. Nonnulli enim asserunt, quod iudex praecise debeat judicare secundum acta & probata, etiamsi sciat contrarium esse verum. Alij vero hisce opponunt, & contrariam sententiam defendunt, quae & ad veritatem proximè accedit. Quicquid enim est contra conscientiam, illud merito quis vitare debet. Ea enim amissa, omnis noster perit thesaurus, cum summa mandati sit fides non ficta, & conscientia bona. Et si in re dubia ea opinio amplectenda, quae animarum saluti tutior, multo magis in iudicio id valebit, ubi iudici certissimum, innocentem damnari. Tutius ergo est deponere officium, quam conscientiam laedere.

C O R O L L A R I A.

Logica non est pars Philosophiae.

Notiones secundae sunt Entia realia.

Omnis causa est principium, sed non omne principium est causa. Sic Pater in Deitate rectè dicitur principium Filij, & hic cum Patre principium Spiritus S., minimè autem causa.

Scientiam Practicam dari à veritate alienum non est.



Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3
004 398 270



f
Sb.

VD 17







Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

CAS
ONUM
NEARUM

1642, 1
16

Gustav Ranke
2.11.1890

ro - Sanctâ
ante Amplif-
ilosophicâ.
emiâ Electorali
t Regiomonti
orum examini

S HUNDIUS

ERVORDIUS

NS
sophico.
temeridianis.
ANIS 1642.